

stra fuerant secuti . Solymanus ejus expeditionis dux non parum interim viæ emensus , a Normanicis castris quam longissime potuit recesserat : verum quacunque ducebat , dissimulata clade , quam per eos dies acceperat , non modo non se acie victum , sed vicisse etiam gloriari : urbes interim diripere , cives in prædam agere , & cætera , ne spem ullam alendi exercitus nostris relinqueret , de industria corrumpere . Boemundus cæterique ductores , & ipsi motis castris per loca arida & siticulosa , ad Iconium Lycaoniæ urbem venere . Tauro monti propinquo adjacet loco Iconium : peropportunaque fuit oppidanorum deditio , quæ sub nostrorum adventum facta est ; opus quidem erat refecto exercitu , qui locorum , per quæ ductæ fuerant copiarum , sterilitate , cum magna jumentorum hominumque perniciæ laboriosissime ad loca irrigua , & in quibus ali posset , fuerat traductus . Post aliquot dies ad Heracliam est itum quadrato agmine , ducibus omnia circumspicientibus ne in hostium insidias præcipitarentur : exploratum namque habebant , ingentem Turcorum numerum in eum locum dimicandi consilio confluxisse . Sed quum ita ad pugnam instructi urbi propinquassent , Heraclienfes omni interim suorum præsidio destituti , supplices occurrunt : pacem orant , se , urbem , fortunæque suas publicas & privatas , Christianis ducibus dedunt . Recepta Heraclia ( quia per exploratores cognitum erat nullo proximo loco hostes consistere ) post quatrimum bipartito inde copiarum abductæ sunt , Balduino & Tancredo Tarsum ducentibus , quæ nullum habere præsidium dicebatur . Tarsenses statim deditioe facta portas aperuere : urbis principatus Balduino omnium consensu permissus : atque illud additum , ut quicquid deinceps in illis terris armis occupasset , jure belli ipsius ditionis factum videretur . Neque ita diu postea Edussa Manustraque urbibus potitus est . Majus robur copiarum in minorem Armeniam , quæ eadem olim fuit & Cilicia , interim flexerat . Ferunt terram ipsam ab Armenio Iasonis comite nomen accepisse . Eam duplicem fecere , qui de terræ ratione scripserunt : illam quæ sub Capado-

*Iconium.**Heraclia**Tarsus &  
alia oppida  
Christianis  
sepe dedunt .*